C. R. BIBLIOTHECA UNIVERS. JAGELL. CRACOVIENSIS
14235 katkom
III Mag. St. Dr. P

Ressoviensis Collegii Schol. Piar: Incolumitas Eccle-
siae, Patriae et populi in avito Boncza-

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 276

INCOLUMITAS ECCLESIÆ, PATRIÆ, & Populi;

In AVITO BONCZA

ILLUSTRISSIMI

ac

REVERENDISSIMI DOMINI

D. ALEXANDRI FREDRO

DEI & Apostolicæ Sedis Grati

EPISCOPI PRÆMISLIENSIS

Per Diæcesanum Ressoviense Collegium

Scholarum Piarum

In felici Ejusdem ad Pontificiam Tiaram

Inauguratione

14235 III

DEMONSTRATA.

Anno Salutis humanæ 1725.

CRACOVIÆ Typis Jacobi Matyaszkiewicz, S. R. M. Typograp

Reverendo Pa̅tri in Chr(ist)o Pa̅tri Adriano Miaskowski Societ. JESU Rectori Collegii Cracoviensis ad S. Petrum.

In Avitum Decus

ILLVSTRISSIMÆ

FREDRONUM

Domûs



Quæris Patritio quare pro Stemmate Magni
FREDRONES Cornu Rhinocerotis habent?
Signum eſt, quòd totum generoſæ mētis acumen
Pro Patria ac aris, evibret iſta Domus.

ILLVSTRISSIME

ac

REVERENDISSIME

DOMINE.

SVb quo Te Præsul *titulo pia pagina ferret,*
Quæsiÿmus studio seduliore diu.
Quo Tè condignè cumularet Nomine, pressit
Sollicitus nimiùm plurima vota labor.

Non

Non secus, ac dubijs agitata carina procellis
Ambiguis querulus fluctibus hæsit amor.
Annè Decus Regni Majestatemq́ Poloni.
Diceret? an Patriæ Te Populiq́ Patrem?
Annè Astrum, Solemq́ Poli decerneret esse
Sarmatici? per quem publica fama nitet.
An Columen ferret, per quod Respublica firmo
Atq́ statu Cives nobiliore vigent?
Dicere Te nostri Fortunam gestijt Orbis,
In qua Lechiadis voluitur omnis honor.
Dicere Pupillam voluit Lumenq́ Senatûs,
Cætera quo Regni clariùs Astra vident.
Quælibet altarum percurrit Nomina rerum,
Palladius genio non remorante favor.
Vt similem tanto titulum reperiret honori,
Ad quem Te virtus appretianda tulit.
Sed tamen in mentē quæcunq́ vocabula sumpsit,
Invenit meritis esse minora Tuis.
Nulla quijt poni, quæ Te comprêndere posset
Dictio, cum cunctis dotibus atq́ bonis.
Tam nēpe es Magnus, tanta probitate redundas,
Vt nequeas quavis voce, sonoque capi.
Nullius Oceanū translata expressio verbi,
Et satis et plenè significare potest.

Et

Et nisi se proprio vocitari sentiat usu,
Ex alio titulo cogitur esse minor.
Sic nec Tu super orbe potes Dignissime Præsul
Nomine quæsito, nî minuare, coli.
Et jam concepto prope desperavit in avsu
Obruta mole gravis materieq; rei.
Jam propriam Pallas non mitiùs arguit artem,
Ingenio nomen non capiente Tuum.
Ni Tua luctanti probitas occurreret, atq;
Grandibus intentis spemq; modumq; daret.
Ni se perpetuis natiuus BONCZA *triumphis,*
Suggereret, fractis viribus îsset opus.
Hoc dubiæ menti Cornu porrexit acumen,
Exhibuitq; aptam plausibus esse Tuis.
Sic aliena fugis, Tu nempe vocabula laudum
Sufficis ipse Tibi, Patritiumque Decus.
Externis alij tollantur vocibus, at Tu
Encomij præbes Nomina Magna Domi.
Ergo nativo Præsul celebrabere cultu,
Linqvimus adscitas mentis & artis opes.
Da veniam, si Te non talem promet Apollo,
Qualis es & quantis dotibus ipse pates.
Non adimet pretiũ, quamvis non addet honori,
Hoc cupit, ut placeat quo Tibi-cunq; modo.

Jam

Jam Te Tergeminam quando probat esse Salutē
Ter tria Nestor agas sæcula, corde vouet.

Subiectissimum

HONORI & NOMINI TVO

Diæcesanum Collegium Ressoviense

Scholarum Piarum

INCOLUMITAS.

Laborantis inter toxica hæreſeos Eccleſiæ

IPſo panegyris Tuæ in veſtibulo
ILLVSTRISSIME DOMINE
animus deficit Oratorem,
Inſolentis deliquij cauſa eſt
Domeſtica FREDRONVM Magnitudo,
Splendorum Majeſtas decumana.
Sed ut
Quæ læſit, ſanat Pelias haſta virum,
Ita Tu Sarmaticus Achilles
metu Tui conceptæ infirmitati,
Te Ipſo mederis.
Salutare Cornu Patritij BONCZA
Certum in ejusmodi febres antidotum:
Novas vires, & florem recipit Orator
ad Tua procumbens veſtigia.
Et qui metuebat repere ad fimbriam,
animoſior hoc amuleto factus,
In ipſum gloriæ culmen Tecum evolat calamus.
Optima debilium Muſarum curatio.
favens Procerum curia.
Evacuatur ſtudij infirmitas vacuâ ad laudes Mæcenatis aure.
Quanto ſolatio Te adorimur!

ILLVSTRISSIME DOMINE

Cum in Te, Tuos pro Ecclesia triumphos adoramus.
Non tam solia Præsulum, quàm suggestus Ducum
occupare videris.
Quævis Tibi curulis, currum triumphalem exhibet;
Quævis ara, laurearum acervus.
Et hoc Purpuratis Pastoribus palmare est,
In scipione clavam Herculis circumferre
Vt excentratas ab Ecclesia debellent excetras
Moysi eadem Virgâ quæ greges coërcuit
Hostes coarctavit, venena magorum domuit.
Mirari satis non potest Orthodoxus Orbis
Præsularis Tui Zeli miracula.
Dissecaris intra Te, dum fatales sectæ coalescunt,
Cristas erigunt pestiferæ ejusmodi hydræ?
gladio Verbi Divini præcidis.
Repullulant è vulnere?
Ignea virtute jugulos inuris;
ut vitales venas obstruas.
Periculosum est cum Vnicorni Tuo, ut cum alijs
omnis contubernium veneni.
Non amant noxæ contubernia innoxiorum
odor rosæ suffocat scarabæum
Quid?
In manu Mithridatis virus omne medela est,
ad Tuæ mentis & virtutis fervorem
detumet quodcunq; hæreseos toxicum.
Quos lue hac reperisti infectos
medicâ lingvâ reddidisti sanos.
Plus sano est.
Pravæ menti inducere probitatem
Quam probam servare à pravitate
Occupatæ Coloribus tabulæ difficilè novus Color infertur
Pingvis testa, etiam lota servabit odorem.
Et hoc est, quod in Te miramur

ILLV-

ILLVSTRISSIME DOMINE

uno plerumquè uerbo
Ex filijs tenebrarum reddis Angelos lucis.
Imo non miramur
quos grandibus Tuis ex hostibus Ecclesiæ
ita asvevisti trophæis,
ut admirationi locum adimas.
Vulgarem nobis fecisti Thaumaturgam virtutem.
ardui quiq; colles nisu heroico sæpè detriti
parvo labore superari videntur.
Solem in ortu nemo miratur, quia communiter oritur.
Crinitus Cometa, quia rarior, stupori est.
Ita sola frequentia virtutum
Maximas Virtutes Tuas reddis nobis communes.
Quarum singulæ miracula orbis forent,
Si rariores.
Inest tamen arcana vis aliqua Tuæ facilitati
Quæ nos stupore alligat.
Communi successu grandia exequeris,
at non communi industria,
Habet semper virtus Tua aliquid noui,
Quod oculos hominum, imo & mentem
admiratione rapiat.
maxima inter culmina datur eminentius.
nec eodem calle diversi colles evincuntur,
singuli labores singulari armantur difficultate:
Ideo & singulari domantur virtute.
Huc venenata Hussij, Zvinglij, Lutheri Capita
Si optatis sanari.
Salutare ILLVSTRISSIMI BONCZÆ cornu
Virus omne vestris dogmatibus adimet.
Sed moneo
Ad acumen illius, quæ allident caperatæ frontes,
Lædentur, & elidentur facilè.

Rectitudinis amans, quia rectè à fronte prostans,
Quidquid obliquæ rationis est, odit.
Imo ut lunata Cornua, ita lunaticas mentes victor petit
Patritius Vnicornis.
Inter recti & sinistri studij normam perpetua antiperistasis est
Non feret unum cubile, leonem & vulpem
unicornem & cerastam.
Nil Tibi magis connaturale est
ILLVSTRISSIME DOMINE
quàm sectarum debellare superbiam.
Quot profana evertisti fana!
Quot cineribus insepelivisti idola
rigorosus in scelera Iudex!
cùm Præsidentem Tribunalis Regni ageres.
aureos ejusmodi vitulos sanctior Möyses
in pulverem aureum redegisti,
Medelam integritati Ecclesiæ porrecturus.
Non audebat extra suam Lernam repere
Septiceps Hæreseos venenum
Te Filio Vnicornium
Gladium Divinæ Themidis vibrante
Sentiunt falcem Alcinoi iniqui stolones
nec exuberant.
umbram accipitris Cornicula fugit.
at verò Iustitia
Ideam optimi Iudicis ex Te formatura
Cedro immortali vultum Tuum intulit.
Desideraberis in quovis hujus solij successore
aut in prototypon proponeris.
Dicet Curia
Mihi FREDRO Lex est, & norma,
imo omnia.
Rectè gesta conservant Digesta.
Nil ita memorabile est, quàm optimorum memoria.
Sed

ſed metus
nè non ameris, hujus prærogativæ ſucceſſoribus:
Minuet affectum difficilis Tui imitatio,
arguent cùm non adæquabunt,
præcipuè cùm vulgi ſit
ad vetus exemplar nova recudere.
Oderint, dum æmulari nequeunt!
Tibi ſatis eſt,
Vt in penetrandis partium cauſis, ita in componendis partibus
In affabilitate, æquè, ac ſeveritate,
In ferendis, ac diſcutiendis ſententijs,
eſſe imitabilem:
Invocaberis frequẽter in Cõparationẽ Optimorũ Iudicũ
ILLVSTRISSIME DOMINE,
Felix Tribunalitiæ Themidis Sanctuariũ
Te Myſtâ Sacrificium æquitati adolente,
niſi Aram Te potius, miſerabilium dixerimus.
Ita Iuſtitiæ Antiſtitem exercebas ad Aras,
ut in refugij aſylum pupillis pateres.
Æris tamen ſonum nunquam ad hæc ſacra Themidos adhibuiſti,
Imo nec auri anathemata.
Infamant Aras Juſtitiæ aurea fænora;
ad tinnitum ut æris, ita auri, ſilent & quieſcunt
argumentoſæ quævis apes.
Facilè Ephestionis os, aurum Alexandri ſigillat,
ubi pro æquitate dicendum eſt.
Plus tamen lachrymarum, quàm ſangvinis fuſum eſt,
Te pro ſolio Tribunalis ſedente.
Contriviſſe reos malueras, quàm ſtraviſſe
Pœnitentia facti non rigore ferri,
oculi luctu, non juguli.
litatum eſt juſtitiæ.
Emendanda ſunt vitia hominum, non amandandi è vita homines

Erubescunt secures severitatem Iudicis dum semper cruore rubent.

Columbas, non corvos in curijs nidificare velim, quæ pacis oleas suo Nöe ferant non cadavera occupent.

Non minùs verò in Regijs, quam in Curijs

Tua floret æstimatio

ILLVSTRISSIME DOMINE

Vtrasque nodo Gordio adstrinxisti,

Vt Iustitiæ ita Regum & Regni felicitati

vitam Mystes sacrificas.

Grande Prodigium

Æquitati simul & favori Principum litare

Partitim hæ qualitates in subjectis reperiri possunt, non ex integro.

Disjunctivè, non copulativè.

Quodsi cōjūgātur in uno, ille est, qui jugū orbi imponet:

Talis es Tu

ILLVSTRISSIME DOMINE,

Ideo gubernio

ut recti, ita Rectorum populi

ex æquo Cultorem agis.

Os Principis, Referendarius Regni factus

Cor Augusti rapuisti.

Si veteri proverbio fides est,

quod in corde, hoc in ore,

Majestas Regia thronum in lingva Tua posuit,

unde privilegia clementiæ promulgaret.

Fontem civilis prudentiæ vel hinc Te esse credimus,

quia Referendario sigillo signatum vidimus.

Ceris tamen Regijs non cereus accedis,

qui in constanti erga Principes fide

ada-

adamas es,
quamvis ad preces supplicum ut cera liquescis.
Nil amabilius in Ministris Regni
quam molle cor in vota populi.
naufragantur onerariæ civium, cùm in scopulos
duri pectoris allidunt:
Magnificè sanè
Aquilæ Regni in sinu Fili, UNICORNIUM nidificant
Ramus unicus frontis BONCZA
Illis pro sede & solio est.
Ministra fulminum Ales, armato Cornu capiti
se credit, ut tutiùs regnet.
Id est, ut fulmine, ita capite,
pro publica felicitate decertare decet:
Armis metum, rationi Ducum victorias debemus,
utrumq; æterno fœdere ligari ambit.
Nec solus ensis metit capita hostium
nec solum caput triumphat enses
& certè
Proficiêt in Câcellarias Regni Referêdariæ Tuæ Aquilæ
ILLVSTRISSIME DOMINE
Quas Tuis quàm optimè innutris virtutibus.
Nihil ad Culmen hoc gloriæ Tibi non eminens suffragatur:
Consilium inimitabile, diligentia inassequibilis
Tuæ dotes sunt, gradus ad maximos honores.
Quidqnid mens concepit, maturat manus.
Et fermè in cunis, Cerebri senescunt curæ.
Rarò eadem facilitate res exequi licuit
quâ concipiuntur,
Adeoq; Divinum est in Ministris
alto intellectui, conjuncta diligens industria.
Sororio quodam nexu utraq; hæc virtus
in Te adunatur.
Perspicax prudentia in deliberando,

 effi-

efficax actio in complendo,
pectoris Tui in arena,
decertant finè fatigio.
Illa semotum à populo conclave Musarum,
Hæc Regiam, Cathedras Ecclesiæ, Tribunalis Curias
omne forum, omne stadium petit.
Vix provida ratio aliquid præconcipit
jam in effectu cernitur.
Vix industria quod ratum est perfecit,
Iam nova mentis molimina manum exigunt.
Ita perpetuo motu in diversa ageris
ILLVSTRISSIME DOMINE,
ut rotam fortunæ Regni in culmen prosperitatis
aut adjuves, aut propellas.
Optimi Civis munus est, totum se impendere Patriæ
nè Patria propendeat in partes.
Tantæ virtutes pridem ante coronari meruerunt
quàm coronatæ sunt
Chełmēsis Infula Coronæ vices inijt,
quamvis inter Regiam & Pontificalem tæniam
parvum fermè discrimen est:
utrumq; imperat,
sed illa potentiùs, hæc digniùs;
Illa populis, hæc ipsis Regibus,
subditis illa Civibus, hæc liberis spiritibus,
Corporum illa, hæc animarum moderatrix.
Reges in ipsos imperium est Jovi!
Quidni DEI Vicarijs!
Efferbuit in plausus Chełmensis Creta
Suum in Te venerata Iovem,
Pro cymbalis & ære Corybantum
ora & pectora acclamantium sonuêre.
Candidos certè & finè nube dies Regnabis
ILLVSTRISSIME DOMINE,
ad al-

ad album Rupellæ noſtræ calculum.
Grandi meritorum Tuorum computo,
integri montes gypſi ſervire jubentur.
Magno Aarone major,
Terram lacte & melle fluentem occupas;
quod illi negatum eſt.
Lac uber rupis propinat, mel Vrſa denotat,
quam inſigni ſuo Chełma præfixit.
Fera hæc comes eſt ambroſiæ.
ſed licet non repereris,
Candore Tuo & ſvavitate animi,
quamcunq; poſſederis,
Reddis terram lacte & melle fluentem.
Exſvaviat bipando ore ambroſiam hanc
Præmislienſis Inſula
non abſq; amaritudine CHEŁMENSIS,
Biceps Præmisliæ Aquila,
medullam cedri Terræ Chełmensi in Te abſtulit.
Certè
non tam Pontificali ſolio quàm cordibus,
non tam Cathedræ quàm animis Civium
infereris PRÆSVL.
Incorporari Diœceſanis, non induci tantum Diœceſi
amas
ILLVSTRISSIME DOMINE
& ut ſis in omnibus, partiris Te omnibus.
Tua modeſtia, Tua pietas
Tua in dicendo ſvavitas, Tua in agendo Majeſtas
Tuus amor in Superos, Tuus favor in miſeros,
quidquid Tuæ virtutis, quidquid Tuæ dotis eſt
non in Clero tantum, ſed & in populo
non minus in foro, quàm in choro
familiare & ad amuſſim expreſſum colitur.

Derogas communi illi aphoriſmo
Regis ad exemplum totus componitur Orbis
qui ad Tuæ virtutis normam componis orbem,
niſi idem ſit Præſulem, quod Regem agere
ſi Regis ſalem Sacerdotium ſpectemus.
Et ſanè magis congruum eſt,
Antiſtitum Sanctitatem, quàm Regum ſuperbiam in Civibus legi.
Nulla jam licentia, nulla violentia
quærelæ nullæ, lachrymæ nullæ
nulla tempeſtas, nullus Aquilonis furor regnat,
Te ad clavum Naviculæ Petri ſedente.
Proſcribuntur pravi mores, Tua probitate
odia charitate,
inteſtinæ fraudes, animi candore;
Tyrannis, clementiâ
magna vitia, magnis virtutibus,
ita ut nemini liceat eſſe Tuum; qui non ſit probus.
Et hoc eſt ut Divinum, ita Præſuleum formare hominem ad imaginem ſui.
Vt ad ſolem non degeneres Aquilæ pupillam,
ita ad Tuæ exemplar ſanctitatis, Tui Cives
ſuam explorant innocentiam.
Quot jam Electorum ſyllabo inſeri beatos?
quot accendi Cælo ſydera?
quot Eccleſiæ parari videmus luminaria?
è Magiſterio Tuæ pietatis.
Sub optimo Præſule facilis ad ſuperos aſcenſus
Gradus proximus in cælum populo
Pontificia probitas.
Regnabis ergo Maxime Præſulum
Stipatus aſtris, quæ Tibi ſufficis.
Beata Divorum corona,
Quam dederis, Tua recreabit
Famâ

Famâ perenni gestaquè Regnaquè
Sed quidquid illi lucis, & inclytæ
Virtutis evibrant, Tuarum
Præsul erit decus omne laudum.
Tuæ relucent sydera gloriæ
Quocunq; nostri se probitas loco
Trionis extendit, minores
Sol radias prior inter ignes,
Quos ipse pulchro pectoris æmuli
Accendis æstu, nemo modestius
Iubar ter augustæ Tyaræ
Non simili volet exhibere,
Frontis modestæ lumine, sanctius
Nemo serenum non amat, ut Tuæ
Adæquet astra sanctitatis
Rossiacas quibus uris arces.
At nulla par est, maxima sit licet
Virtus, supremâ sede locaberis
Inter beatos, quos creâsti
Ipse Tibi probiore zelo;
Pars magna de Te floret in omnibus
Fatemur, aulis, sed Tuus eminet
Splendor, coronatæq; dotes
Quos animas, præis Ipse laude.
Chełmensis illos vix *Helice* Tui
Sensit decores nominis, aurea
Se luce præsentat Tyaræ,
Et meritum Caput ambit ultro.
Velletq; magnis solvere censibus
Perenne PRÆSVL Præsidium Tui
Nè; quod tot ante passa lustris,
Præcipiti rapiare voto.
Sed ecce lumen vix dederas breve,
Mox inde major Te rapit Insula
Præmisliensis, ast & ipsa
Nè celeres aliò, timebit.

Regni ad curules, quas Tibi vel Cracus
Vel Gneſna ſupplex offeret, invidis
Succenſa flammis; eſt quod aræ
Roſsiacæ querulentur Arctoi,
Dum purpurati vix ſibi Præſules
Fecêre Sceptri lætitiam brevem,
Inſtante majori Tyarâ
Mox alijs revocantur aris.
Plangente Ruſſo Tu Patriæ PATER
Ad uſq; ſeram flectere Roſsidas
Velis ſenectam, donec Ipſe
Purpureus Tua præmietur
Olim Galerus tempora, vel triplex
Corona Romæ. Nil medium Tuæ
Vrbanitati par, vel orbis,
Vel populi Pater eſto noſtri.

LEVAMEN

Periclitanti in æſtu curarum Patriæ.

UT Aris ita Armis
Salutare Cornu Vnicornis Veſtri
ILLVSTRISSIME DOMINE,
Illis ſubtile acumen, his telum ex ſe porrigit
Tutum caput Patriæ ſub hoc frontis haſtili.
Manus armantur alijs, hic cerebro confligitur.
Niſi radium dixeris,
qui, quàm ſanctæ ſunt cogitationes BONCZÆ Veſtri
circa

circa bonum publicum, denotat.
Palladi æquè ac Marti Sacer eqvus,
caput telo instruit,
ut unus, utriq; victimam se præstet.
Merito illud Cæsarianum adæquans
ex utroq;.
Quam felices periclitanti Patriæ horas
stylus hic magnæ frontis indicat?
umbrarum tamen nullam proijcit, nec amat,
qui meridiem gloriæ semper spectat.
Luminosæ indoles confinia cimmeria oderunt.
Purpurati Soles ubi noctem repererunt
eliminant, dum illuminant.
Non umbras tantum cujusvis ignaviæ,
sed & atræ notæ dies,
longè expungit VNICORNIS Vester.
Et benè in Cælum erigitur, radios solis
suo aucturus;
an pro Sole
Niveos & absq; nocte tempestatis accensurus dies?
Ita apex Illustrissimi BONCZÆ,
nil non sublime sapit.
Mensuram sceptrorum esse credas
ex testimonio Regij Vatis,
Exaltabitur sicut Vnicornis cornu meũ.
Dicere voluerat, sceptrum meum.
Quantus honor FREDRONVM
in Regum paritatem admitti.
Præferunt in capite sceptra
dum sceptris caput immolant.
Optimè Principum Majestas, in sinu fortunæ Procerum
educatur,
desinunt Regna, ubi desident amores Civium.
Sed sicubi, certè in Domo VNICORNIUM
ut Regiæ Authoritatis, ita libertatis Patriæ
D altri-

altrices quæsiveris gratias.
Cornucopijs in Cornu BONCZÆ invigilant,
ideoq; sunt hic assiduæ:
Imo
nescit alibi VNICORNIS Vester
quam in sinu Charitum quiescere,
unde & Regum gtatias in consortium traxêre,
Puduit Principes vinci obsequijs Civium,
Ideoq; merita FREDRONVM
Infulis, Mitris, Curulibus, Purpuris
obruere nitebantur,
si obrui poterant?
Quæ omne honorum culmen excreverunt.
Minores curæ præmia curiarum admittunt
Majoribus nil par offerri potest.
Parvos fontes facilè coronaveris, non æquora
Ingemuit honor imparem se esse FREDRONIBVS,
& quo magis hi eminuerunt
ille majora cumulabat fastigia,
ne vinceretur
Castellanas Curules; Palatinos Murices
Regni Aquilas, & Scipiones
Sacri Civilisq; Senatûs decora,
Castrorum, Regiarumq; primicerios splendores
& quidquid supra maximos eminuit
FREDRONIBVS addixit.
Ita se honor exsolvit, cùm virtuti in mancipium cesserit
emeritis Heroum sudoribus obstricta
plurimùm desudat felicitas publica
Virtus Honori calcar admittit, non Honor virtuti
ubi itur in altum.
Itaquè
educatus inter Scipionum laurus, & oleas Fabiorum,
innutritus Metellorum & Deciorum Corymbis
Italiæ Colles, Campis Poloniæ
per-

permutavit VNICORNIS Vester,
Romæ Ardeatinam, ardore zeli DIVINI producente
usq; in gelidum Aquilonem
Honor anteambulo VNICORNIS
Rosa Pontificij muricis in hæc eum pascua illexit.
E septicolli Vrbe
Ad Bicollem Krusviciæ Tyaram evocatur
ILLVSTRISSIMVS BONCZA.
Metropolis aliàs Regum Poloniæ Krusvicia
Alumno Dominæ Orbis Romæ. cessit.
Nec dari poterat dignior colonia
ablactato inter triumphos mundi Heroi,
Sedem Regiam occupat, ut reddat sedem beatorum
Vnctus DEI.
Pridem illa malis exitio fuit
si cineres adesos Popielij refodiamus;
adhuc tamen igneâ ANTISTITIS virtute lustrata
sanctior apparuit.
Nemesi mures impellente arrosa est Regis purpura,
ut Pontificiæ locum daret
Plerumq; asyla scelerum fiunt aræ Superorum
Expiante fundum pietate.
Tantum, & tam dulcem Romæ invidens sangvinem
in venas suas è Nepotibus BONCZÆ
Corpus Imperij Sarmatici recepit.
Fervebat ille semper, ut Heroicos spiritus
Hæredibus transfunderet.
Vnde Rarus est in posteris, qui Vestro sangvini
Vitalitatem fortitudinis & fortunæ non deberet.
Imò & Reges ipsi Vobis credunt
tam bono sangvine nutriendam.
Prorogatur ætas Principum, ubi nihil est; quod in Civibus abrogetur.
Suggerunt vitales spiritus coronatis Capitibus, Optimates dum ad mentem Coronatorum Capitum se gerunt,

Casimirus Magnus Sarmatiæ Columen,
Primus in sinu
DOBIESLAI FREDRONIS
Mareschalci Regni,
cum Ministeriali Scipione Majestatem Regiam
& magnitudinem suam deposuit.
Ita Romani fasces BONCZÆ reviruerunt,
in fascibus Poloniæ.
Progenita ad culmina Indoli magnæ,
omne solum culmen adstruit
extra Patriam, fortibus omne Regnum
Patria est.
Sensit magnitudo Casimiri in triumphis consenescēs
quàm firmiter inniti poterant'
Mareschalci baculo DOBIESLAI,
Distributor vocis Procerum in conclavi Consiliorum
Corda omnium in Principem congregavit,
si non Diviniori svada còëgit aut rapuit!
Serenissimi Solis Phosphorus
alios dies
quàm innubes & serenæ felicitatis
Patriæ non accendit.
Anteambulo Majestatis
nihil non ex Majestate egit unquam.
Tunc Romani Scipiones iterum in FREDRONIBUS
revixerunt,
qui fortunam Regni ferro, & ingenio fulcirent.
Metiebatur ad decempedam DOBIESLAI virgæ
suam Polonia amplitudinem,
cùm ille
ut in facie Reipublicæ lingva, ita in acie belli manu
pro limitibus Imperij decertaret.
Rarior Phœnix, vir Togæ simul & Sagi
faciunt hæc divisa beatos,
quid si uniantur? Numina.

Regis

Regis Casimiri Lilijs abundè satis pastus,
ad Violeta Pontificij Honoris progressus est
Vnicornis FREDRONVM.
Prægustatâ olim Krusvicciæ purpuræ rosâ,
Sylvestris Moldavia Pæstum aperuit
Tanto Hospiti,
ubi BacoviensiInsula insignitus est
NICOLAVS FREDRO.
Aureum hoc Nomen, avaræ aliàs genti ita gratum fuit,
ut pro loculis cordi inferretur.
Barbaræ indolis terra, humanior esse cæpit,
ad Pastoris sui humanitatem.
Sylvestres genios explanavit urbanitas.
Itaquè
quæ non nisi odisse noverat,
amare didicit optimos Moldavia.
Rosa inter asperos vepres floret.
Virtuti ipsa vitia contribuunt ad gloriam.
Invidit Myra Bacoviæ Sanctum Præsulem;
imò & litem movit
pro suo NICOLAO,
Rata non alibi posse coli tam sanctum nomen,
quàm ad suas Aras.
Sed succubuit, Aram Aræ Sarmatiâ opponente:
Non sola Asia Superûm ferax,
Quodvis solum Divinis mentibus Cælum est.
Angliam putares Moldaviam,
exilium rapacitati luporum indixit,
ad præsentiam NICOLAI Nostri;
Populo rapinis assveto mansvetudinē agninā induxit;
Mirareris Angelos fieri è feris,
è belluis, bellæ indolis Cives?
nisi thaumaturga hæc virtus
NICOLAO Nostro esset familiaris.

 Quæ

Quæ alijs habentur pro miraculis,
illi vulgaria sunt.
Non est arduum calcare Alpes virtuti,
quæ semper in summa nititur.
E saltibus Moldavicis,
In Campos Podoliæ grandi passu accelerat
UNICORNIS VESTER.
Effrænis ille aliàs, & sessoris impatiens,
ut libero Cælo, ita liberis fruitur pascuis;
Aureos tamen torques Palatini Honoris
pro habenis admisit,
ut ferat suis FREDRONIBVS Honorē.
Nil gloriosius, quàm ubi ut bona, & opes,
ita merita, & honores successoribus
ex asse hæreditatis obveniunt.
Nec mora
Purpuratum hunc sessorem VNICORNIS Vester,
in ædes Palatinas detulit,
ILLVSTRISSIMORVM
Ioannis & Andreæ FREDRO
Russiæ & Podoliæ Palatinorum.
Quantis Ioannes Noster sudoribꝰ, pro lympha Iordanis
Terras Russiæ offudit,
ut hoc; quasi lavacro baptismatis, lotam,
intaminatam redderet felicitatem Regni.
Confluxisse putares Orbis totius gratias in Poloniam,
ad gratiosum Palatini Nomen.
Hoc unico tamen IOANNE inferior,
quòd desertum in Patria non amaverit,
Imò nec solitudinem,
Omnibus seu Consilij, seu rerum indigis
non aulæ tantùm, sed & pectoris
apertam exhibens januam.
Curiæ Ducum, receptacula sint egentium.
Ioannis Aula Regum etiam Asylum erat.
Ad So-

Ad Soczaviam decertanti Albrachto Principi,
insolitum præstitit propugnaculum
Capitis & manûs.
Ad Regiam, obsidionalem Coronam
adjecerunt Barbari Sarmatico Regi,
gravis prima, gravior altera,
illa Civium curis, hæc hostium injurijs oppessa:
Consumpsisset ferrum Moldavicũ coronarium aurum;
nisi industria & dexteritas
IOANNIS FREDRO,
mediam se opposuisset.
Vt Regem eximeret periculo, hostes exuit Castris.
Pænitentiam ad Borysthenem, pro Iordane,
prædicavit IOANNES,
ubi Barbaris pænitudinem facti,
ut armis, ita consilio persvasit.
Quàm svaviter Vox hæc è desertis Moldaviæ,
ad Rupem Podoliæ insonuit!
ut scias Ioannis nomen Montanis semper amicum.
Novum Muricem induit
Regia Adalberti Principis Rosa,
hostium offusa cruore.
Nobilis hæc tinctura IOANNIS FREDRO fuit.
Tam Heroici spiritus Clavam meruerũt.
Militare semper DEO & suis Regibus amans,
DVX Belli recensitus est IOANNES.
Sed vix arenam Martis ingressus est Imperator,
in agonem mortis evocatur,
Campestres laureas, Cæli Corona occupante:
Ita semper invida est palmis fatalis Cupressus.
In ANDREA
novum Solem adoravit Podolia
suo Majorem.

Et sic

Et sic, contra Astronomicum gnoma
Duos soles Cælum non patitur
Illa geminum Solem passa est.
Sensêre Crucem Andreæ adversi Podoliæ populi,
ad quam eorum acta est prosperitas.
Moldaviam, Tartariam, Zaporoviam
Cladibus, Calamitate, metu, ita affecit,
ut nunquam fines Poloniæ tangere, affectarent.
Vt semper Tartaro Crux inimica.
IOANNI FREDRO,
Succamerario Camenecensi,
Palatinum hoc par Fratrum debemus.
Quid enim Gratia non eximium pareret!
Succamerariæ ejus Clavi,
Non Iani tantum fores, ubi pacis & belli Aræ
sed omne ostium,
Vbi Fortunæ & Honoris simulacra coluntur
patebat.
In Curijs Fabius, in Castris Scipio,
ubiq; fortunatissimus.
Honorem, quem ipse totum & integrum meruit,
divisit in filios
Illustrissimos Russiæ & Podoliæ Palatinos.
Immortale decus Parentum, Hæredum
gloria.
Nunquam mori possunt, qui in Augusta progenie vivunt.
Radici suæ coronam adstruunt frondes & plantæ.
Palatinas Curules inseqvuntur Castellanæ,
utrumq; Senatorium decus
in ILLVSTRISSIMIS
ANDREA, FRANCISCO, SIGISMVNDO
Haliciensi, Præmisliensi, Sanocensi
Castellanis FREDRONIBVS.

Trias hæc Cæli Sarmatici,
Orbis gloriam meruit adoratricem.
A Cruce ſua ad Coronam HALICIÆ,
profecit ANDREAS,
debitum hoc Crucibus ſertum.
Vetus alias Regnum Halicia,
Regibus non inferiores animas ſibi enutrivit.
Quadam glebæ, non tam optimarum frugum,
quàm optimæ frugi Heroûm feraces.
Tunc abundavit benedictio in terris Rusſiæ,
ſub ſigno Crucis ANDREÆ,
tunc triumphavit Tartarum Polonia
ſub palmari hoc labaro.
Præſcia fatorum natura, magnis hoſtibus,
Magnos progenerat & opponit Cives,
eadem tempeſtate,
Roma Scipionem, Carthago Annibalem profudit:
Ad Seraphicum FRANCISCI nomen,
Præmiſlia in amores boni publici exarſit,
Imò ille
Vt Regum, ita Civium amor,
pro Sede Caſtellana, cor omnium inſedit.
Cicatrices docent, quàm Martius hic Heros fuerit.
Niſi ſigillatam diceres tanti pretij animam,
Pro Cera purpureis Stigmatibus.
Optimæ indoles priùs ſignantur in Cælo
quàm deſignantur in cunas.
SIGISMVNDI Victorioſum Nomen
Si Alemannicum ethimon conſulimus,
Fertilem laurearum Terram Sanocenſem reddidit.
Geminâ acie, ingenij & Martialis Genij,
armorum & conſiliorum,
In Commodum Reipublicæ dimicavit
Caſtellanus.

F In

In Castris Hector, in Curijs Fabius.
Et hoc est singulare magnis Heroibus,
Nec sub olea emasculari, nec sub lauru sylvescere;
A Magnis Majoribus, itur ad Maximos.
MAXIMILIANVS FREDRO
Castellanus Leopoliensis,
Aboriginum suorũ Majestatem, & successorũ gloriam
in se uno compendiavit.
Oraculum Sapientiæ, simulacrum fortitudinis,
Ex Vmbris Parnassi ad lucem publicam
evocavit Musas,
Rudi amiculo tectas, Senatoria dignatus est purpurâ.
Omnimodæ Eruditionis emporium
in Conclavi ejus spectares,
Quò septemviralis Græcorum Sapientum Classis,
Quò latina Oratorum & Philosophorum Phasellus
enatare debuerat,
ut opulenta scientiarum merce potiretur.
Delphicus Apollo in responsis, & oraculis,
Tullius in rostrata Curuli,
Aristoteles in contextu rationum,
Politicorum ænigma,
Miraculum Orbis.
Vtinam sic semper Sarmaticæ Conjuges parerent!
FREDRONVM Matribus id vulgare est.
Ita Politicæ leges concinnavit,
Vt non lancinaret Christianas.
Difficile sanè est
Inter sectas aulicismi, sectari veritatem CHRISTI.
Extunc Leo Rossius; Minervæ sacer factus est.
Acceptior Deæ victima, quàm Eqvus Achivorum.
Ad Tripodem MAXIMILIANI
Nec ignes Martios, nec adversæ fortunæ rotas
timere didicit.

Litem

Litem hinc movêre Senatui pro FREDRONIBVS,
Regni Ministeria;
Optimorum, grande ubiq; desiderium est.
MAXIMILIANVS FREDRO
Regens Cancellariæ Regni,
mox Referendarius,
Diremit litem.
In quocunq; Honorum Culmine steterint,
ubiq; Maximi FREDRONES.
Sigismundus Sarmatiæ Dominus pro Alexandro,
Ephestionem nostrum
Annulo Regni, sibi signare voluit, fidissimum.
Prosperè in altum eniti poterant,
Iunctæ temoni Imperij Cancellariæ Aquilæ,
Rectore tam dignissimo.
Os Principis Referendarius,
Nunquam non ex Majestate mentē Domini explicuit.
Imò & fulmina alter Demosthenes de lingva jecit,
quibus Prussiam rebellem Orator Commissarius,
ad pedes sui Principis abjecit.
Ostentabat Moschoviticus Draco virus
quo Poloniæ felicitatem inficeret,
A FREDRONVM UNICORNI
medela petita est.
MAXIMILIANVS Patriam extra Patriam
humeris ferens Legatus,
Hostis audaciam ultra fines relegavit.
Ita salus Reipublicæ nullibi citiùs invenitur
quàm in pharmaco sensûs optimi Civium.
Eodem Regni commodo
ANDREAS FREDRO
Capitaneus Vstensis

 Bis

Bis Portam Ottomanicam Legatus pulſavit,
Bis ſvadâ ſuâ è Cardinibus emovit
Vt fœderibus Noſtris pateret.
Quorſum calame!
Longior FREDRONVM Heroum ſyllabus,
quàm ut aliquot paginis capi poſsit.
Homerum refodias, ut Iliadem tot Virorum ſiſtat.
IOANNES Camenecenſis,
MAXIMILIANVS Præmiſlienſis,
Succamerarij,
Quot laudes exiguunt?
Impar eſt meritorum, calculo ſepiæ carbunculus.
GASPAR, IOANNES & ANDREAS
Hæredes ut magni Sangvinis, ita gloriæ,
Oratoris publici ANDREÆ Vſtenſis Capitanei,
poſt Martiales laureas
Quot ſertis Muſarum coronandi?
Vt hoſtico furori limitem ponerent,
in acie ceciderunt,
Tumulis ſuis aggerem finium ſignaturi.
Graves ſunt hoſtium manibus Heroum Manes.
STANISLAVS inſignis Regimentarius,
extra Rupellam Cracoviæ,
In arena Moſchovitica cæſus Martyr,
quot coronas meretur?
PETRVS Scytharum fulmen,
Ad Cecoram Capitolij Sarmatiæ,
poſito in belli ceſpite Capite, Fundator,
Quibus diſtingvendus elogijs?
Emortuum eſt Corpus Reipublicæ, niſi Heroicis Spiritibus occumbentium ſtrenuè virorum animetur.
Infringe ad hanc Petram apicem Calame!
Abyſſus Proſapiæ FREDRONVM,
Vt inexhauſta, ita vult eſſe intacta.

Novi-

Novimus à longè Numina Magna coli.
Aut acue stylum,
Nè ad Culmina tot fœderatarum Domuum cespites!
Vnicorni FREDRONVM,
Cataphractus *Ducum in Klevan* Eqves
se jungit,
Equo suo in prælia, FREDRONVM in triumphos,
usurus,
Regij illi Atlantes, dum Vice Reges,
Patriæ Cælum non tam succollaverunt,
quàm erexerunt.
Ita cum sangvine purpuræ Vobis miscentur
ILLVSTRISSIMI FREDRONES,
& Conjugalis Hymen Regiam sociat fortunam.
POTOCCIORVM CRVCES,
Post Regna; Cælum Vobis mercantur,
Hac nisi moneta, vendibilis DEI *sedes.*
LASCIORVM LEO
Sphæras in suo Annulo,
Sydera in Aboriginibus præsentat,
Vt pateat, Cælũ reaccẽdi in Domo FREDRONVM.
STADNICCIORVM SRZENIAVA
Erydanum Stellis fluctuantem exhibet,
sed qui alit, non extingvit lumina.
DERSNIAKORVM CANIS
Syrius est,
qui messem gloriæ vobis maturat.
KORYCINSCIORVM, ORZECHOVIORVM ASCIA
Eadem ipsa est, quæ Caput Iovis fidit,
ut Palladem pareret,
vel ideo Astris donata.
GNIEVOSIORVM VRSA
Luminosa est Helice,
Quæ navigio Reipublicæ, in pelago periculorum laboranti,
prælucet feliciter.
MARCHOCCIORVM LVNÆ

Quid

Quid nisi Cælum, Natalem Vestram Aulam indicant?
Geminæ, ut si non superent solem, æquivaleant.
ZBOROVIORVM ACCIPITER
Marti Sacer Ales, Martis sphæram occupat.
Quid
KIERDEIORVM, TREBINSCIORVM, BIDZINIORVM,
SIENIAWSCIORVM, DROHINSCIORVM,
IASTRZĘBSCIORVM, LVBACZOVIORVM,
ZAPOROVIORVM, DVNIKOVIORVM, VILZINSCIORVM,
CIECHANOVIORVM, Splendores?
Quàm Cæli Sarmatici Sydera.
Principum RADZIVILIORVM AQVILÆ
Iovis ministras Cælo arcent,
Vt ipsæ Solium Iovis occupent.
ZAMOYSCIORVM HASTÆ,
Radij sunt Solis,
qui toties Patriæ, diem felicitatis accenderunt.
KONIECPOLIORVM SOLEA
Zodiacus est, non tam spolia ferarum
quàm Heroum insignia ferens.
RADZIEIOVIORVM AGNVS
Pro Phryxæo ariete, Ver Vobis perpetuum adstruit.
MIELECCIORVM CLAVA
Eadem quæ Herculis inter sydera fulget.
ZEBRZYDOVIORVM ROSÆ
Auroram purpurarum enutriunt.
Imò
In MICHAELE KORYBVTHO
In IOANNE III. Regibus Poloniæ,
Hinc IANINÆ, inde *Cynthiæ* luminaria,
Tanto se FREDRONIBVS affundunt sereno,
Vt extra controversiam sit,
Augustam hanc Domum, Cælum esse Sarmaticum.

Aspice, quantorum PRÆSUL meritissime Patrum
Filius in superûm limina Sancta venis!
In Te cuncta fluunt, quæ sparsim flumine pleno
Obruerant alias munera magna Domus.

In

In Te Patritiæ laudes, & quidquid honoris
Nomen habet, vivo prorsus honore viget:
Tu Procerum, quos Celsa Polis fastigia miscent,
Iliadem reddis solus abunde brevem.
Imò quid addis adhuc; Eadem Tibi gloria floret,
At meritis longe clarior illa Tuis.
Hic Honor, hæc Virtus, sed certâ lege triumphat,
Quæ venit, Antistes, conciliata Tibi.
Ut veteri surgens flos de radice, coronat
Ingenitas raræ fertilitatis opes:
Ut plus verna Ceres præstat semente sepultâ,
Major & in rivo fontibus unda cadit.
Sic quæ Magnanimos illustravêre Parentes,
In Te nobiliùs Sydera quæq; nitent.
Mens Tua Cælestis mortales vincit honores,
Ipsi dum curas proximus ire DEO.
Hinc Tibi Pontifices claris se fascibus Aræ,
Hinc Divûm quævis pegmata celsa vovent:
Unde licet Dominum Præmislia *Vitta salutet,*
Sed metuit, ne quo, celsior Aula vocet.
Quòd si contigerit, prout exigit inclyta virtus,
Nostris avelli gaudia tanta tholis;
Esto memor PRÆSUL, quo suspiramus amore,
Æternùm obsequijs incubuisse Tuis.

SALUS
Positi in maligno Populi.

Jte procul pestes! & quidquid spumifer Orcus
Evomit, ut tinctas Divino flumine mentes
Inficiat, stygioq; genus mortale veneno,
Ignarũ fraudis, perimat. Quæ vibrat Erynnis
Tela? quot infectas sanie flagrante Sagittas?

 Ut

Vt minus advertens lethali funere vulgus
Improba consumat? quot morbis åfficit orbem,
Vt gens quæq; capi facilis, sua jura sequatur,
Pronior in damnum, quàm certæ lucra salutis?
Friget amor recti, pietas incognita terris,
Regnat turpe scelus, virtutis nulla cupido.
Quis modus est Erebi? nullonè tenebitur æstro?
Nullus Acheronti par est Tyrinthius Heros,
Qui frãgat, reprimatq; stygẽ? date sydera plaus
Ecce novus Domitor stygis, Inferniq; Tyranni
Magnus Alexander Præmislæ *sudat ad aras*
Vt populum pedicis orci, sortiq; malignæ
Eximat, & læsis in se ferat ipse salutem.

Ita est
ILLVSTRISSIME PRÆSUL
Ad Tuæ Virtutis antidotum
omne toxicum Averni evanescit.
Aspectu Pedi Antistitalis,
quasi olim ænei serpentis,
Lethales stygialis colubri morsus curantur.
Vivit æternum
Qui exemplo Tuo ad vitam æternam formatur.
Iacobo non inferior, Ovium Christi Pastor,
Ad virtutum Tuarum, ceu virgarum varietatem
Ea gregem Tuum induis specie Sanctitatis; quam optas.
Probitas Præsulum, magistra populorum optima est.
Tua mansvetudine non tam cicurata, quàm mutata in ovem.
Rudes villos aureum Charitatis vellus obtexit.
Horridum murmur, innocens balatus
suppresit.

Præmi-

Præmislienses Aquilæ
Ad jubar Tuæ virtutis, Solis inquam Purpurati
Ortus non degeneres probant.
Nisi & ipse
Magnarum Alarum sis Aquila,
qui ad sublimia perfectionis culmina,
etiam pumiliones animos eniti doces.
insidiantes tristi veneno, innocentibus columbis
vel reprimis, vel suffocas serpentes.
Quodcunq; vitium cristas erigit,
Ad Petram inconcussæ Virtutis Tuæ alliditur.
Adeoq; Te ad Aras regnante,
Tarqvinius superbus, Ambitiosus Sylla, Diomedes ferox,
Avarus Midas, mollis Heliogabalus, Amasius Endymion,
exulant semper.
Nullum sceleri cum pietate contubernium
Gemmis glaream nè sociaveris.
Ad adamantem Pontificalis annuli quidquid fragile est,
facilè comminuitur.
At verò
Idem adamas, qui vitijs scopulus est,
virtutibus Promontorium.
Tua Antistitali gemma ita desponsatur Probitas,
Vt corrivale scelus nunquam admittat.
Ad profundam demisionem Tuam, quid non demissũ
Ad vultûs modestiam, quid immodestum?
Ad sensuum compositionem, quid incompositum?
Ad mentis tranquillitatem, quid non tranquillum?
O! utinam, aut Tu Ascesi nostræ præluceres,
Aut Ascesis nostra Curiam Tuam incoleret
ut pasci & satiari
Fructibus Tuæ Sanctimoniæ liceret!
Oculo plus fidei est, quàm auri.
Didicimus fama latè canente

Ad Aras novum Te ardere Seraphim,
& cor pro thure adolere.
Pontificijs Pænatibus Cælum infundi,
Te Angelorum contubernalem agente,
In vigilijs, & nocte insomni Argum,
In diurnis laboribus Alcidam.
Quid si intueremur?
Quanto omne momentum pretio constaret?
In quæ elogia laxarentur lingvæ?
Quanquam Tu
ILLVSTRISSIME DOMINE
Admiranda potiùs, quàm enarranda patras.
Impar est eloquentia virtutibus Tuis,
& non tam factis, quàm miraculis.
Æternum atra sepia in paginis testatur luctum,
Quòd splendore rectegestorum offundatur,
& obruatur.
Vt dignè
ALEXANDER SARMATICVS
describaris,
Europa Curtium, si in fastis,
Apellem, si in tabulis exprimi velles,
agere deberet.
Armis ille Macedonicus,
Tu famâ probitatis orbem Tibi subjugasti.
Et quidem nobilius Imperium suipsius
quàm totius Vniversi.
Hoc terræ finibus, aut littoribus terminatur,
Illud pro limite cælum habet.
Virtutum species si quis adumbrare vellet,
Omnium, ex Te uno, Idæam acciperet.
Clementiæ Prototypon,
Eâ frontis amænitate, vultûs gratia,
Oris svavitate, pectoris candore,
Maje-

Majestate fastu non vitiata,
Affabilitate non fucata
Emines,
Vt vivam imaginem clementissimorum Principum
Non exhibeas tantùm, sed & superes.
Infirmis es antidotum, afflictis solatium,
Cadentibus fulcrum, lapsis adminiculum,
Reis Asylum, probis Ara.
Nil habet populus, quod extra Te desideret,
Quoties in maligno se positum sentit.
Iustitiæ & æquitatis
Lex es & Norma.
Tutior ad Pedum Tuum, quàm ad urnam Æaci
triumphat Innocentia.
In pectore sacrarium Themidos aperis.
Nemo est, qui à Te appellet,
Tu appellaris ab omnibus
Pupillarium & miserabilium causarum
Non tam Iudex, quàm Patronus.
Æquanimitatis libram ita dextrè tractas,
ut nec prosperis, nec adversis
præponderari queat.
Scopulum in Bicolli Insula
Turbidarum rerum fluctibus opponis,
Ad quem frangantur.
In malacia secundorum successuum
Nunquam vela laxas,
Quibus in altum spes rapiantur.
Mitis, mansvetus, comis,
In patientia inimitabilis,
In demissione inexæqvabilis.
Ita supremi leges adimplevisti Magistri
Discite à me qvia mitis sum & humilis corde,
Vt Magisterio Tuo deberi videantur.
An salubrior Salus Ecclesiæ dari possit
Quàm sanctus Pontifex.

O! ter beatam dixero Russiam,
Arasq; nostras, quas radiantibus
Incendis astris qualitatum,
Et studio probiore Recti,
Divine PRÆSVL. Non ego Lyciæ
Sanctum Tyaram, non Hiponi decus
Illustre, cultum, non Turonæ
Sydereum jubar invidebo,
Te sanctitatis, culmina prospero
Vincente passu. Quælibet Insula
Sic vellet ornari; Tuarum
Quælibet ambitiosa dotum.
Sed è profundo poplite poscimus
Nè nostra, PRÆSVL Maxime deseras
Lycæa, devotumq; vulgus,
Nestoreâ nisi luce regnes.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

I. XXII. 4.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0024828